



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Quæstio III. De Ente prout est essentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

QUÆSTIO III.

De Ente prout est Essentia.

Essentia definitivè est *ipsum ens prout radix primò & formaliter essendi*. Rationem essendi accipiendo appropriatè prout opponitur existentia. Alii dicunt quòd essentia sit *radix existendi*, quæ descriptio tolerari posset, quia quamvis existentia sit quid posterius essentia, adeoque non de primò essentiali conceptu illius, quia tamen radix existentia, non est quid posterius essentia, fit ut illa non malè describatur prædicto modo: prior tamen descriptio videtur esse communior, quia radix essendi, quæ talis prior est ratione, præ radice existendi, non ratione radicis, sed ratione ejus, cujus est radix.

Accedendo autem ad magis disputabilia pensandum erit, quid sibi velit illud principium, *Essentia rerum sunt aeterna*, quæ propositio non facit hunc sensum, quasi essentia rerum existant ab aeterno. Sed hunc quòd essentia rerum habeant esse essentialè ab aeterno: quod ipsum quo sensu verum sit examinandum venit.

DIFFICULTAS I.

Quale esse non habeant creaturæ ab aeterno?

Esse ab aeterno quoddam diminutum concedunt essentis non pauci Scotistæ. Concedunt & alii, aliud esse essentis aeternum, cum Albertino, de quo infra.

PRÆMITTO I. *Quòd ex nostris Suarez & Vasquez. negent Scotum attribuisse essentis esse ali- quod diminutum, & Oviedo auctores hujus sententia Lichetum & Tartaretum nominat, expressè tamen Pontius hinc Disp. 69. n. 52. concedit istud esse diminutum, sed negat illud fieri ab intellectu divino: ut plenius intelligatur status quaestionis.*

PRÆMITTO II. *Censere Scotistas cum communi sententia nullam creaturam habuisse esse essentialè ab aeterno, tribuunt tamen creatis esse quoddam intelligibile, quod aliqui dicunt produci à divino intellectu, eò quòd ante actum divini Intellectus nullo modo creatura habeat rationem objecti intelligibilis, cum non habeat independentè ab intellectu divino, rationem quidditatis productæ, quæ est radix intelligibilitatis. Caterum hoc esse intelligibile negat ut dixi Pontius à divino produci intellectu. De hoc esse intelligibili affirmant, quòd sit medium inter esse reale, & ens rationis, eò quòd non sit reale simpliciter; nam talis entis nomine, venit Ens existens, cum tamen nihil ab aeterno existat. Non est etiam hoc esse ens rationis, quia non est quid impossibile, aut aliquid fictum, & hoc esse intelligibile appellant Scotistæ ens diminutum.*

PRÆMITTO III. *In presenti posse esse quaestionem de re, & quaestionem de voce.* Quaestio erit de voce, si hoc esse intelligibile creaturarum, non aliud sit, nisi ipsamet essentia Dei, prout est representatio rerum à se cognitarum, quæ in se ipsis nihil omnino actualitatis habeant; & sic quaestionem proponendo, erit quaestio de voce: an hoc sit appellandum esse diminutum creaturarum, quia indubiè omnium rerum conceptum habet Deus. Quaestio autem erit de re, si velis creaturas extra Deum non habere ullum esse, in intellectu tamen divino habere esse quoddam intrinsecum intelligibile distinctum ab ipso Dei esse.

DICENDUM. *Esse illud diminutum prout illud ordinariè explicant Scotistæ esse impossibile.*

PROBATUR I. *Esse illud diminutum in mente Dei positum, vel est ipsemet Deus, vel non est ipse Deus? si non est ipse Deus, ergò non est illud esse in mente divina productum, quiddam enim in Deo est, Deus est: Si est ipse Deus, ergò non est quid productum. Tum quia per productum intelligitur quid creatum, id autem quod Deus est implicat creati. Tum quia esse creaturarum non est esse Dei, esse autem illud diminutum est esse Dei. Tum quia in Divinis nihil est productum nisi ipse Personæ, ergò cum illud esse creaturarum, non sint ipsæ Personæ divinae, nec illud esse erit productum.*

CONFIRMATUR. *Impossibilis est productio rei sine existentia physica rei, esse illud intelligibile, ut fide constat, non habet existentiam physicam, ergò neque est quid productum. Major ex eo probatur, quia non haberet ad quid terminaretur illa productio.*

PROBATUR II. *Quia illud esse diminutum creaturarum, vel producit Deus liberè, vel necessariò? si liberè, ergò illud esse antequam cognovisset præcognovit, quia si est liberè productum, est productum, postquam est volitum, si est productum postquam est volitum, ergò productum ex præcognito, ergò si illud esse cognitum liberè produxit Deus, prius illud præcognovit: non poterat autem præcognovisse, quia præcognitum fuisset antequam esset intelligibile, cum illud esse intelligibile acquiratur illà productione divinà. Rursus si illud esse intelligibile liberè est à Deo productum, ergò poterat non produci, ergò creaturæ poterant non intelligi à Deo: quod probatur, poterant creaturæ in esse intelligibili non produci, sine quo tamen intelligi non possunt; Ergò sicut poterant non produci in esse intelligibili, ita etiam poterant non intelligi. Quod si in esse intelligibili necessariò producuntur à Deo, ergò aliquid creatum est, quod Deus liberè non producit, cujus oppositum fides docet.*

CONFIRMATUR. *In priori rationis, in quo intelligebatur Deus, potens producere esse intelligibile creaturarum vel sciebat, quid esset pro-*

producturus in secundo signo rationis, vel non sciebat? si hoc secundum, tribuis Deo modum agendi eorum: Si primum, ergo cognoscebat creaturas ante esse illarum intelligibile.

PROBATUR III. Ab aeterno vel cognoscit Deus non esse creaturarum vel non cognoscit. Si non cognoscit, ergo vel sunt ab aeterno, quod falsum est, vel certe non cognoscit Deus quod cognoscibile est. Quod si cognoscit non esse creaturarum ab aeterno, quæro, an producat illud esse illarum intelligibile ab aeterno, vel non producat? Si non producit, ergo nec producet illud esse diminutum, de quo quæritur: Si autem producit negationem esse intelligibile, ergo illa & sunt negationes ut supponitur, & non sunt, quia negationes quæ habent esse productum, non sunt negationes, sicut & ipsum esse productum non est negatio.

OBJICITUR I. à pari. Cognoscendo Deus suam essentiam, non sistit in cognitione illius solâ, sed producit intra se Verbum quod est Deus intrinsicè, ergo etiam cognoscendo creaturas in eadem sua essentia, producit aliquid, quod sit intrinsicè creatura, nec sistit in sola cognitione, puraque illarum representatione.

RESPONDETUR. Disparitas est. Quia in Verbo quod est terminans naturam divinam eandem, & ratione Personæ, est productum, distinctumque realiter ab aliis Personis, salvantur adhuc duo hæc principia, quod omne quod est in Deo, Deus sit, & salvatur quomodo inter produciens & productum sit distinctio realis: jam autem hæc duo non salverentur, si produceretur esse intelligibile creaturarum: nam si illud identificatur Deo, quomodo est esse creaturarum: Si autem non identificatur Deo, & est productum, ergo & distinguitur realiter, tanquam productum à Deo producente, ergo ut salves distinctionem producentis & producti, asseres aliquid extra Deum ab aeterno productum, quod fides negat. Deinde quando Deus non sistit in sola cognitione suæ essentia, sed procedit ad productionem Verbi facile est respondere quid producat, nempe Verbum, productum quidem, sed increatum. Si autem ex cognitione creaturarum producit Verbum non potest responderi quod sit creatum, quia nemo fidelis admitte Verbum æternum creatum. Quod si ex illa cognitione producit Verbum increatum, vel idem est illud cum secunda Persona vel non idem? si non idem, ergo admittis duo Verba increata. Si idem, ergo non est illud esse, esse intelligibile creaturarum, sed esse Dei. Cæterum si hæc sententia non plus velit quam dari expressionem creaturarum inclusam in ipso intelligere actuali divino, quod sit ipse Deus in re verum loquitur hæc sententia, sed hoc esse non debet appellari productum, nec esse creaturarum, sed esse Dei, nisi forte creaturarum terminatiue.

OBJICITUR II. Intelliguntur à Deo ab aeterno creaturæ; ergo habent esse intelligibile ab aeterno, quod non potest haberi nisi concessio illo esse diminuto.

RESPONDETUR. Sine ullo esse diminuto quod imaginantur oppositi, potest esse cognitio de creaturis; quia potest illas Deus noscere in sua essentia, tanquam eminenter continente perfectiones essentiarum creaturarum, potest noscere in suis ideis, & quia ipse est actualis notitia, erit ratio ut *quo* noscendi illas. Denique noscere illas poterit in illismet ipsis.

OBJICITUR III. Deus per suam essentiam tanquam per speciem, potens est ad producendum quodlibet in suo esse cognito, ergo producit in tali esse cognito etiam creaturas, intelligendo scilicet illas in sua essentia tanquam in exemplari.

RESPONDETUR. Hanc objectionem non esse contra nos, quia non plus vult quam dari notitiam creaturarum in mente Dei quod & nos concedimus.

Accedendo autem ad impugnationem alijs sententiæ, aliud esse essentiarum æternum ponentis, sit

Punctum Difficultatis I.

Propozuntur supposita adstruentium statum reale essentiarum ab aeterno.

SUPPONUNT I. P. Andreas Chaczal & ejus discipuli. In triplici statu posse spectari naturam. I. In statu essentia, in quo illi nihil præter essentialia ejusdem convenit. II. In statu existentia, in quo conjungitur cum differentiis, accidentibus &c. III. In statu existentia obiectivæ, in quantum scilicet obijciuntur intellectui præcipue divino ab aeterno.

SUPPONUNT II. Naturam in statu essentia, priorem esse, statu possibilitatis, statu etiam obiectivo in mente Dei, independentem item ab utroque; quia quantumvis per impossibile Deus non cognosceret ab aeterno istam propositionem, *homo est animal rationale*, tamen illa propositio obiectivè accepta, esset, veraque esset, neque enim ideò aliquid cognoscibile, verumque est, quia illud Deus cognoscit, verumque dicit, sed ideò verum dicit, cognoscatque, quia verum est, cognoscibileque est. Est etiam independentens essentia in statu essentia à possibilitate, quia status possibilitatis completè & adæquate acceptus necessariò respicit Omnipotentiam divinam, potentem ponere & producere, eaque sublata, saltem quoad suam adæquationem & complementum, tollitur status possibilitatis; jam autem impossibili etiam Omnipotentia divina, verum est dicere, hominem constitui animalitate & rationalitate, adeoque statum illum essentia,

tiæ, distinctum esse à statu possibilitatis, complete accepto, quamvis non possit extra causas essentialiter poni essentia, nisi supposita Omnipotentia.

SUPPONUNT III. Naturam in statu essentia neque esse actu, neque potentia, quia natura in statu essentia absoluta est à prædicatis accidentalibus, sed sola essentialia involvit; esse autem actu accedit naturæ, potest enim non esse actu. Esse item in potentia accedit naturæ, quia potest esse actu. Rursus quia esse creatum actu, est accidens, nam hæc quæ merè possibilia sunt, non sunt creata, ideo in statu essentia natura, non est creata, licet dicat non repugnantiam ad creari: non est etiam pro statu essentia annihilabilis, quia status essentia non pendet à voluntate Dei: non enim pendet à voluntate Dei, quod homo sit animal rationale; Quod si non pendet à voluntate Dei essentia pro statu essentia, hoc ipso pro statu essentia non erit annihilabilis; nam annihilatio est subtractio mera concursus ad existendum, pendens à voluntate Dei. Et certè annihilatio pro statu essentia, non est alia cogitabilis, nisi secundum quam desineret esse essentia hominis animal rationale, quæ definitio est impossibilis.

SUPPONUNT IV. Naturam in illo statu non abstrahere à suis prædicatis essentialibus, & quia quod convenit essentia ex vi essentia in omni statu illi convenit, hinc dicunt, quod ea prædicata, quæ rei in statu essentia conveniunt, in omni statu illi convenire, adeoque etiam in statu existentia.

SUPPONUNT V. Hæc tria esse condistincta. I. Essentialiter est ens actu. II. Essentialiter est, non ens actu. III. Non essentialiter est ens actu. I. Convenit Deo, essentialiter enim Deus est ens actu. II. Convenit omnibus chimæris & impossibilibus quæ essentialiter sunt non ens actu. III. Convenit essentiis rerum ab æterno, accedit enim illis esse actu.

SUPPONUNT VI. Aliam esse hanc propositionem. *Essentia neque est essentialiter prædicatum esse actu, neque est essentialiter prædicatum esse in potentia.* Et aliam hanc: *Essentia essentialiter est non esse actu, & non esse in potentia.* Prior apud illos est vera, posterior falsa, quia sequeretur nunquam essentiam poni posse actu, quia essentialiter illi esset, non poni.

SUPPONUNT VII. Abstrahere naturam in statu essentia à contradictoriis contingentibus, unde non licebit per illos à negatione unius contradictorii argumentari ad positionem alius contradictorii. Unde hæc propositio *essentia est actu ab æterno, & essentia non est actu ab æterno*, neutra afficit per illos statum essentia, quia in illo statu abstrahit à contradictoriis contingentibus. Et quia ratio existentia est ratio accidentaliter, ab illa abstrahit ille status, quod etiam fecit Aristoteles. II. Poster. Tex. 2. Ubi inquit: *Quid*

autem est homo, & esse hominem, aliud est. Et III. de anima C. 2. *Aliud est magnitudo aliud magnitudinis esse.*

Infundantur autem hæc omnia illi principio, quod præter æternum verum, quod est Deus, datur insuper aliud verum æternum propter quod appellantur propositiones æternæ veritatis necessariae &c. Vide Aristotelem 9. Metaph. Tex. 21. Nomine cuius veri æterni non est accipienda veritas formalis; hæc enim non est sine intellectione, cum sit conformitas cognitionis cum objecto; sed est accipienda veritas objectiva, seu innexa ipsi rei essentia, quam acceptionem veritatis, docuit ipse Aristoteles, quando illam non condistinguit ab ipso esse, dicens, *ex eo quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est.* Ex hoc

INFEREBANT I. Dari universale à parte rei, quia quod convenit essentia in statu essentia, in omni statu illi convenit, sed humanæ naturæ v. g. in statu essentia, convenit non esse idem cum hæccitatibus, Ergo in omni statu illi conveniet, adeoque etiam in statu existentia. Quod si non est idem cum hæccitatibus, retinet se cum indivisionem formalem, adeoque unitatem.

II. Gradus Metaphysicos esse nemine cogitante formaliter ex natura rei distinctos: animal enim ex vi essentia suæ non est rationale, ergo & à parte rei non erit rationale, ergo distinctum à rationali, sed non distinctum realiter, ergo formaliter ex natura rei.

III. Etiam existentiam & cætera similia, esse formaliter ex naturâ rei distinctam ab essentia, quia cum prædicato existentia, pro statu essentia, non erat conjuncta essentia.

IV. Distingui item attributa, quia ex vi essentia suæ Misericordia non est Justitia, multaque alia consequenter ad hoc principium in Philosophicis Theologicisq; materiis inferebant.

Punctum Difficultatis 2.

Impugnatur hæc Sententia.

PROBARI SOLET I. Quia Vicleffus hæreticus teste Valdensi Lib. 1. Doctr. Christ. C. 8. damnatus est ob hanc propositionem quod asseruerit creaturas habere ab æterno aliquod esse reale actuale distinctum ab esse Dei.

RESPONDETUR. Damnatum fuisse, quia concedebat creaturis esse existentia ab æterno, quod non asserit hæc sententia.

PROBARI SOLET II. à Suarez utroque, Oviedo & aliis communiter. Nihil est extra Deum, quod à Deo non sit productum, creaturæ ab æterno non sunt productæ, ergo neque sunt ab æterno extra Deum.

RESPONDETUR. Nihil esse extra Deum in statu existentia, quod non sit productum, potest tamen aliquid esse extra Deum in statu essentia,

sentia, quod neque sit productum neque improductum &c. &c. Hinc aliter.

PROBARI potest III. Essentia hominis v. g. pro statu essentia spectata vel est Deus, vel non est Deus; falsum est quod homo pro statu essentia sit Deus, ergo pro statu essentia non est Deus: Si non est Deus, ergo est aliquid productum, ergo creatura, sed creatura nulla actu realiter est ab aeterno. Ergo nec essentia hominis est actu realiter ab aeterno.

RESPONDEBIS I. Hominem pro statu essentia neque esse Deum neque non Deum.

CONTRA. Tum quia natura hominis pro illo statu non abstrahit à non esse Leonis & esse Leonis, sed pro illo statu determinatè natura humana non est Leo, nec ergo erit Deus; Si autem non est Deus pro illo statu, redibit argumentum jam factum. Tum quia natura hominis in statu essentia non tantum dicit se, sed & negationem eorum quae non sunt, ipsa ergo etiam pro illo statu erit connexa cum negatione Dei. Tum quia nihil abstrahit ab eo quod est, sed infert illud quod est, ergo & negat hoc quod non est, aliàs esset & non esset, Ergo etiam creatura pro statu essentia negabit hoc quod non est, adeoque negabit esse Dei.

RESPONDEBIS II. In illo statu essentia verificari de homine quod non sit Deus, sed non verificari quod sit productum, quia hominem non esse Deum est prædicatum conveniens secundum quodcumque esse illius actuale, esse autem productum non est prædicatum nisi secundum esse existentiale.

CONTRA. Tum quia hæc responsio enervat dicta Patrum. Justin, Cyrilli, & Augustini Lib. I. de Trinitate C. 6. dicentium, *quidquid à Deo factum non est vel non esse vel Deum esse*, quae dicta, si nihil obsit, simpliciter sunt accipienda; Si autem simpliciter accipienda, clarè infertur, si illa essentia sint actu, productas esse. Tum quia in quo statu ens verè non est Deus, & tamen est in illo statu, est in illo statu verè creatura, sed in quo statu est aliquid creatum, in illo statu est verè productum, his enim verbis differunt, ergo in quo statu ens verè non est Deus, & tamen est in illo statu, est quid productum. Major probatur. Quia impossibile est nemine cogitante aliquid esse & non esse Deum, & tamen non esse creaturam; & sicut non accidit rebus creatis non esse Deum, ita nec accidet illis esse creaturas; & sicut non est reperire essentias in aliquo statu reali in quo non dicant negationem Dei; ita nec erit reperire essentias in aliquo statu reali in quo non dicant esse creaturæ.

RESPONDEBIS III. Essentias rerum duplices spectari posse, quasdam in objectivis formalitatibus Deo & Creaturis communibus, hæc formalitates pro statu essentia abstrahunt ab esse creati & increati, ut dictum supra, & alia sunt formalitates restrictæ jam, & tales sunt esse homi-

nis, esse Leonis, &c. Tales formalitates dicunt ab aeterno in statu essentia rationem creabilem, sed non creaturatum.

CONTRA. Esse possibile quoad essentiam, est esse creabile quoad essentiam, ergo & esse quoad essentiam, est esse actu creatum quoad essentiam: Ergo & illa essentia si sunt actu quoad essentiam, sunt actu creatæ ab aeterno, quod falsum est. Et sicut non convenit illis essentis, esse ut ita dicam essentiabile, seu esse essentia in potentia, sed esse actuale quoad essentiam, ita & deberet illis convenire non esse creabile quoad essentiam, sed esse creatum quoad actum essentia, esse autem creatum quoad actum essentia, est esse productum, quod esse productum illi negant essentis convenire ab aeterno.

PROBARI potest IV. Assumendo principium quod supponunt oppositi & sæpè obtrudunt, nempe in statu existentia nihil esse, quin sit productum, quo principio posito, sic formatur argumentum. Si essentia hominis antecederet ad existentiam daretur, in statu illo essentia à parte rei postea posita, & esset producta, & non esset producta: Esset producta ut probò, quia quotiescunque in creatis unum producit, hoc ipso producit & aliud identificatum illi realiter, sed pro statu existentia producit existentia, quæ est idem realiter cum essentia: ergo & ipsa essentia produceretur. Non etiam pro statu existentia produceretur essentia, quia nullam actualitatem acquireret quam non præ haberet, sed tota actualitas acquireretur ab existentia. Sic si per impossibile antecederet antecederet rationalitatem non esset in potentia animalitas, sed haberet actualitatem, producta rationalitate secum identificatâ, non diceretur produci animalitas: non enim acquireret definitionem essendi in potentia: ergo etiam cum essentia non acquirat definitionem essendi in potentia, habet enim actum essentia ab aeterno, hoc ipso non diceretur essentia produci, adeoque essentia creatæ, erunt improductæ à parte rei.

CONFIRMATUR. Tum quia actus ille essentia, quem pro statu essentia habet essentialis, ut excepto solo nomine existentis, non videatur quidquam à parte rei acquirere; nam res existens non est in potentia causarum in ordine ad existentiam: essentia autem pro statu essentia, non est in potentia causarum ad potendum esse suum actuale essentia: jam enim pro statu essentia, habet actu statum essentia. Rursus res in statu existentia, est actu pro statu existentia, essentia etiam pro statu essentia, est in actu essentia, quid ergo plus acquireret, per quod simul salves non solum existentiam, sed etiam essentiam esse quid productum. Tum quia si essentia pro statu essentia habet actum essentia, sed non actum existentia, licetque hi duo actus distingui possunt, distinguam & ego duplicem productionem, dicamque unam esse productionem

† B quoad

quoad essentiam, & hanc esse æternam, & aliam productionem existentia, quam dicam fieri in tempore. Et sicut quando dicunt Patres nihil fuisse ab æterno actu præter Deum, id oppositi interpretantur de actu existentia non de actu essentia, dicam & ego, quando Patres dicunt nihil esse actu productum quod id dicant de esse actu producti quoad existentiam; non de esse actu producti quoad essentiam. Quod si dicas nihil acquirere pro statu existentia essentiam quã talem; jam illa quã talis producta non erit. Tum quia si creatura haberent aliquod esse actuale ab æterno condistinctum ab existentia, & existerent ab æterno, & non existerent, non existerent, ut est de fide; existerent autem ut probatur, hoc est actuale quoad essentiam, est existere ab æterno, sed essentia habent esse actuale ab æterno quoad essentiam, ergo existunt. Major probatur. Habere esse actuale essentia seu esse & non in potentia causarum in tempore, est existere essentiam in tempore, ergo & habere esse actuale essentia, seu habere essentiam, & non in potentia causarum ab æterno, est essentiam existere ab æterno, imò quia habebit actum essendi, & non à causa habebit existentiam similem Deo cujus essentia est in actu, & non producta.

PROBATUR V. communi in hac materia argumento. Si creatura haberent aliquod esse actuale quoad essentiam, creatura non produceretur ex nihilo essentia, sed produceretur ex nihilo essentia, quod probatur. Tum quia si non omnia producta sunt ex nihilo essentia sequitur, quod Deus non produxerit omnia simpliciter ex nihilo, sed unumquodque produceret inquit Suarez tanquam ex potentia reali receptiva improducta, scilicet existentiam, ex essentia reali, quæ dicitur esse potentia receptiva, ipsius esse, & improducta. Tum quia si Deus non produxit omne ex nihilo essentia, sequitur creaturam pro statu essentia gloriari posse, quasi non omnia acceperit. Tum quia essentia hominis secundum totum suum conceptum pro statu aliquo, qui non sit abstractio, est ens ab alio, derogaretque Dominio Dei si homo secundum suum principale, hoc est, essentiam non sit à Deo.

CONFIRMATUR. Tum quia essentia existentia non est ab æterno actu, quia si essentia existentia esset ab æterno actu, hoc ipso existentia esset ab æterno actu, & sicut ubicunque est actu essentia hominis, est homo; ita ubicunque erit actu essentia existentia, illic erit existentia; hoc autem dici non potest: Nulla enim existentia, sicut nec existens, est æternum, excepto Deo. Tum quia hoc ipsum sic proponi potest. Falsa est hæc universalis, omnis possibilis essentia est ab æterno actu, quia non est essentia existentia ab æterno actu: ergo vera erit hæc particularis, aliqua essentia non est ab æterno actu, in statu essentia: redibitque argumentum à pari.

Hæc essentia non est actu ab æterno in statu essentia, ergo neque alia. Tum quia quod in hac materia bene urgeri potest, urgeturque in simili in materia de distinctione Scotistica quamvis possit substantia v.g. præscindere à non esse creati & increati, imò & ipsa essentia hominis, nihilominus ut id sit nemine cogitante videtur esse confusio status intentionalis cum statu reali. Concedimus quidem rationibus communibus non competere creati, negamus tamen rationes ipsas communes, esse nemine cogitante.

RESPONDET. nihilominus Albertinus argumento petito ab essentia existentia, datque disparitatem quia nisi ponatur essentia hominis esse ab æterno, non est ratio propter quam non repugnet existentia hominis; repugnat autem existentia Chimæ, non posita autem existentia essentia, dabitur sufficiens radix possibilitatis existentia, nempe ipsa essentia, cui illa existentia competit.

CONTRA. Tum quia per oppositos essentia essentia, non est essentia existentia: Ergo & possibilitas essentia non est possibilitas existentia, ergo non redderetur possibilis existentia, possibilitate essentia. Tum quia licet ponatur per possibile vel impossibile essentia existentia ab æterno, redderetur ex consequenti possibilis ipsa essentia, cujus illa esset existentia; hoc tamen non obstante, ponitur ab æterno esse actuale essentia, ergo quamvis vi essentia possibilis reddatur existentia, ex consequenti adhuc debet dari essentia existentia ab æterno. Tum quia & daretur essentia existentia ab æterno, & non daretur; non daretur quidem ut supponitur, daretur autem quia etiam de essentia existentia possunt formari propositiones æternæ veritatis, quæ si fundant actualitatem essentia v.g. in homine, fundabunt & in existentia essentia.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur argumenta in oppositum.

OBJECITUR I. Dantur propositiones æternæ veritatis, v.g. quod homo sit animal rationale &c. in quibus prædicatum necessarii connectitur cum subiecto; Ergo datur & veritas obiectiva talium propositionum; atqui talium propositionum veritas obiectiva est ipsa essentia, de quâ hæc propositio verificatur, ergo & essentia dabitur ab æterno.

RESPONDETUR. Quis sit sensus harum propositionum æternæ veritatis, de hoc infra agitur. Directè ad objectionem dici potest, dari propositiones æternæ veritatis pro statu intentionali, non tamen dantur extra statum intentionalem; quod ipsum subdistinguitur, non dantur extra statum intentionale formaliter actu, dari tamen extra statum intentionalem fundamentaliter. Et certè propositio æternæ veritatis

ritatis

ritatis, propositio est, si propositio est, extra statum intentionalem non est: si extra statum intentionalem non est, extra statum intentionalem vera non est: quomodo autem sit vera fundamentaliter, infra explicabitur. Addo propositiones aeternae veritatis, non hoc sensu esse aeternae veritatis, quasi sint nemine cogitante actu, sed quia dicunt tale prædicatum de subiecto, talemque enuntiant connexionem, quæ non dependet à tempore, eò quòd enuntient prædicatum necessarium simpliciter, vel necessarium ex suppositione. Denique quid rogo est aeternitas, v. g. ante, præter ipsam existentiam DEI principio carentem, nihilq: est reale, sed concipitur à nobis conceptu in re fundato, tanquam fluxus quidam durationis extrinsecæ principio carens, quòd si non est reale illa aeternitas, quam realitatem inferet aeternitas propositionum aeternae veritatis?

OBJICITUR II. Quòd homo sit animal, id non pendet à cognitione divinà, ideò enim cognoscit divinus intellectus hominem esse animal quia est animal; non autem ideò homo est animal, quia Deus cognoscit esse hominem animal &c. Ergò quòd homo sit animal, habet hoc ex vi essentiae suae.

RESPONDETUR. Concedo totum; non enim negamus proficisci ex vi essentiae hominis quòd ille sit animal, sed negamus vim illam essentiae vel potius ipsam essentiam esse actu nemine cogitante ab aeterno, ita ut per nos illa ipsa essentia non sit nemine cogitante, actu, in statu aliquo reali, sed ut sit non nisi fundamentaliter.

OBJICITUR III. Essentiae rerum distinguuntur à mero non ente ab aeterno; Ergò habuerunt esse aliquod positivum & reale ab aeterno: non enim potest aliquid distinguì à nihilo, nisi per aliquid positivum, & reale:

RESPONDETUR. Essentias rerum distinctas fuisse ab aeterno, secundum esse spectatum in omnipotentia & in omniscientia, adeoque per esse suum fundamentale, fuisse item distinctas pro statu intentionali, nulli tempori adstricto.

INSTABIS. Per nos falsum erat dicere ab aeterno, *essentiae rerum secundum se sunt ab aeterno aliquid*, ergò verum erat ab aeterno dicere, *essentiae rerum secundum se ab aeterno non sunt aliquid*; Ergò ulterius verum erat dicere, *illas non distinctas fuisse à nihilo*, distinguì enim à nihilo non possunt, si secundum se sunt nihil.

RESPONDETUR. Quòd scilicet essentiae rerum sint distinctae à nihilo, si spectentur in causà, non tamè si spectentur in seipsis, quòd ipsum subdistinguitur, non distinguuntur à nihilo in se ipsis actu positis spectare, licet distinguantur se ipsis fundamentaliter spectatis, de quo infra.

OBJICITUR IV. Res in se possibili amantur à Deo necessario; hinc ex amore illarum dicitur spirari Spiritus S. Ergò tales essentiae sunt aliquid positivum; amor enim non potest terminari ad nihil.

RESPONDETUR. Distinguendo consequens ex dictis: Ergò tales essentiae sunt aliquid positivum positive in seipsis positum, negatur, sunt aliquid positivum intentionaliter existens, independentem autem ab existentia intentionali, sunt aliquid in omnipotentia positum. Conced. Consequentiam.

INSTABIS. Non potest dici Petrus beatus per beatitudinem possibilem; Ergò neque potest dici animal propter possibilem conjunctionem.

RESPONDETUR. Non posse dici Petrum actu beatum per possibilem beatitudinem, posse tamen dici possibiliter beatum: ita etiam neque potest dici homo actu animal per possibilem cum animali conjunctionem rationalem, licet per ipsam possit dici possibiliter animal, sed inde non sequitur ulla actualitas essentiae hominis ab aeterno.

OBJICITUR V. Divina Omnipotentia habet necessariam connexionem cum possibilibus, & tamen non potest habere necessariam connexionem cum nihilo, ergò possibilia, sunt aliquid positivum ab aeterno.

RESPONDETUR. Possibilia esse quidem aliquid positivum ab aeterno, positivitate intra ipsam omnipotentiam contenta, licet non positivitate aliqua actuali extra omnipotentiam; inde autem non sequetur divinam Omnipotentiam non posse ad possibilia referri, quia ut dicitur in Logicis transcendentales relationes, non exigunt actualitatem termini existentis.

OBJICITUR VI. Commune axioma *Essentiae rerum sunt aeternae & improducibiles*, quæ aeternitas & improducibilitas non potest aliter explicari, nisi per statum essentiarum actualis ab aeterno.

RESPONDETUR. Essentias rerum secundum rationes suas communes spectatas, & secundum sola sua essentialia prædicata produci non posse, & à certo tempore non pendere. Sed negatur id esse aliquid reale ab aeterno. Et certè de aeternitate essentiarum & improducibilitate censeo ita discurrendum esse, sicut de universalibus, quæ etiam aeternae & improducibiles dicuntur, non quòd habeant statum suum aliquem realem, qualem ideis tribuebat Plato; sed ratione status alicujus intentionalis.

OBJICITUR VII. Si non datur status aliquis realis actualis essentiarum ab aeterno, non posset reddi ratio, cur Chimæra sit impossibilis, possibilis homo.

RESPONDETUR. Quia homo habet connexionem suorum essentialium prædicatorum, non habet hircocervus. Quod si dicas de hoc ipso quæri, cur hircocervus non habeat connexionem essentialium prædicatorum suorum? ad hoc responderi potest per eandem rationem quam

redderent oppositi, cur in statu Essentiae non sit natura hircocervi; vel si est, cur non fundet possibilitatem hircocervi. Inter alia sic etiam responderi potest, quare Chimæra sit impossibilis? quia implicat contradictionem: si autem quæras cur implicat contradictionem: nolisque esse contentus inductione manifestante, quid sit implicare contradictionem, redibo ego ad priorem responsionem, quia scilicet est impossibilis: ad eum modum quo si quæras quare Petrus sit homo; benè respondeo, quia est animal rationale; Si autem de hoc ipso quæras, benè dicam quia est homo. Imò universaliter scientifica responsio ad quæsitum de definitione non potest haberi nisi per definitum, & ad quæstionem de definito, nisi per definitionem; supposita, ut dixi, inductione, terminorumque explicatione vocabulari.

OBJECTUR VIII. Possibilitas rerum habebat suam actualitatem ab æterno siquidem quocunque instanti dixeris, *res nunc est possibilis*, dicere idem potuisses in Ante & dicendo in Ante, dicere potuisses priori adhuc in Ante.

RESPONSUM. Supra possibilitatem rerum habere suam actualitatem in causâ non in seipsâ, hoc ipsum subdistinguendo quod scilicet non habeat in se ipsa actualitatem actu, licet in se ipsa habeat actualitatem fundamentaliter. *Ex dictis*

COLLIGES. Quomodo sit solvendum argumentum ex statu essentiarum depromptum ad probandum dari unitatem universalium à parte rei.

OBJECTUNT illi. Indivisio formalis convenit naturæ à parte rei, indivisio formalis est unitas formalis, ergò unitas formalis convenit à parte rei. Major probatur. Indivisio formalis convenit naturæ ex vi status essentiae; quod autem convenit ex vi status essentiae, in omni statu convenit: Ergò & indivisio formalis conveniet naturæ à parte rei. Quod autem indivisio formalis competat naturæ ex vi status essentiae sic probant. Cui convenit carere rationibus divisivis formaliter seu essentialiter, ei convenit carere divisione formali, sed naturæ ex vi status essentiae convenit carere rationibus divisivis formaliter, quod ipsum probant, quia rationes divisivæ formaliter sunt differentiae essentialiter, quibus natura pro statu essentiae caret: aliàs. Siv. g. animal pro statu essentiae non careret divisione, v. g. per rationale, ubicunque esset animal, illic esset rationale.

RESPONDETUR. Disting. Illam propositionem. Indivisio formalis convenit naturæ ex vi status essentiae tanquam status intentionalis, conced. tanquam status in suâ actualitate independentis ab ullâ intentione, negatur. Solumque agnoscimus dari nemine cogitante indivisionem fundamentalem de qua in Logica.

INSTANT. Essentia hominis est distincta ab

essentia Leonis, ergò est per aliquam unitatem distincta, in qua unitate non est idem quid, sed aliud ab essentia Leonis; atqui hominis essentia non est distincta per unitatem numericam; quia hæc est accidentaliter; ergò per formalem.

RESPONDETUR. Ex dictis essentiam hominis in statu essentiae tanquam statu intentionali esse distinctam ab essentia Leonis.

DIFFICULTAS II.

Qualenam esse habeant Essentiae ab æterno?

DIXI jam supra quod essentiae habeant esse actuale in causis, h. e. in omnipotentia potente illas producere in statu actualitatis, habent item esse objectivum in mente Dei, esseque amatarum à Deo. Quod ipsum esse objectivum in mente Dei competit illis. Ex usu etiam Philosophi qui 7. Metaph. Tex. 33. *Speciem intentionalem domus, domum appellat sine materia*. Et 3. de anima T. 14 & 15. *intellectum propter speciem intelligibilem vocat intelligibile*: Sed præter hoc nullum habent esse nisi fundamentale, de quo infra. Sed prius venit expendendum, quis sit sensus propositionum æternæ veritatis, quæ indicant esse illud æternum essentiarum, quale hîc discutitur.

Punctum Difficultatis 1.

De sensu propositionum æternæ veritatis.

PRÆMITTO I. *Propositionem æternæ veritatis nemine cogitante neque esse veram nec falsam*; cum nemine cogitante non sit etiam ulla propositio, & quia ratio æternitatis quæ importatur in propositionibus æternæ veritatis nullam habeat realem actualitatem, ut supra dictum.

PRÆMITTO II. *Supposito quod nulla sit actualitas nemine cogitante propositionum æternæ veritatis, quomodo accipiendum sit dictum illud commune scilicet, Propositiones æternæ veritatis absolvere à tempore?*

Potest I. in hoc sensu accipi, quia scilicet nullum est tempus in quo non sit verificabilis, unde non est alligata in suâ certitudine ad ullum tempus, ut ita soluta certitudo possit per omne tempus vagari; sed non ita absolvit à tempore, quasi non sit verificabilis de tempore, aliàs de præterito, præsentis, & futuro falsa esset, quod dici non potest. Porro tempus respectu cuius verificabilis est illa propositio, est omne tempus possibile, & imaginarium; adeoque etiam tempus ab æterno, si daretur; quod si alligata est hæc certitudo ad omne tempus, sit ut sit alligata ad differentias præsentis, præteriti & futuri, adeoque in omni hoc tem-

tempore verificari possit. Cum hoc tamen fiat, ut cum sua certitudine alligetur ad tempus possibile & imaginabile, quia si ad illud non alligaretur non esset propositio, quia omnis propositio ut sit propositio, nec est sola pluralitas terminorum, debet importare particulam *Est*, si importat particulam, debet *est* importare Verbum, si importat Verbum, debet importare significans cum tempore, ergo si non importat tempus determinatum, debet importare omne tempus possibile & imaginabile, quale etiam est tempus ab æterno.

SECUNDUS SENSUS est, in quo potest dici propositiones æternæ veritatis absolvere à tempore, quia scilicet ejus sunt energix, ut quamvis illis tollas particulam *est*, quæ nota est præsentis temporis, æquè tamen benè natæ sunt ingerere sui notitiam, & veritatem. Quod ipsum sic explicatur. Sunt aliquæ propositiones quæ si tempore importato in se careant, non solum deiciantur à ratione propositionis formalis, in rationem potius termini & propositionis materialiter, sed simul etiam veritatem deperdant. Et quidem, in propositionibus de secundo adjacentibus clarissimum hoc est: nam in ista v.g. propositione *Petrus est*, si tollas particulam *Est* manebit solum Petrus, qui terminus se solo nec eundem sensum, nec sensui infundatæ evidentiam, nec eandem energiam retinet. Rursus in hac propositione *Petrus est sedens* sensus est, *Petrus existit & existit sedens*, tolle particulam *est* nec eundem sensum, nec eandem energiam obtinet: nam potest trahi in oppositum dicendo *Petrus sedens non existit*, vel *Petrus sedens olim erit*, &c. E contra propositiones æternæ veritatis, quamvis illis tollas particulam *Est* quæ notat tempus, & quamvis hac oblatione sint deiciendæ à conditione propositionis formalis, ad conditionem propositionis non nisi materialiter, nihilominus eandem evidentiam sensus (modò nullam restrictionem mentalem adhibeas) obtinent. Sic v.g. hæc propositio. *Homo est animal rationale* est propositio æternæ veritatis, tolle illi particulam *Est* non decider per hoc à sua evidentia. Sed transibit tantum in rationem termini definitivi: Si autem dicas *homo animal*, auferasque *est* transibit quidem propositio in rationem termini complexi, sed non deficiet à sua veritate & evidentia. Si autem sit propositio divisiva v.g. *animal vel est rationale, vel irrationale*, tolle particulam *Est*, deficiet quidem tunc formalitas propositionis, sed evidentia non deficiet, eritque evidentia divisionis. Quod ipsum cæteris paribus est accipiendum, quia si ipsum *Ly Est* non rationem copulæ, sed rationem termini habebit, qui si vel subjectum vel prædicatum, ut in hac propositione *quodlibet est vel non est*, ablatio illius totam verificationem destruit, quia habet se per modum prædicati vel subjecti, adeoque ut ita dicam, partium

per se, hinc non est mirum ablatâ parte, per se, etiam sensum totius non esse.

PRÆMITTO III. Ad significandum quod propositiones æternæ veritatis non sint alligatæ certæ differentie temporis non haberi ullum vocabulum quod vicem copulæ subeat: nam rigorosè loquendo sicut cum dico *Petrus fuit sedens* propositio alligatur tempori præterito, sic & cum dico *Petrus est animal* *Ly Est* rigorosè loquendo alligatur præteriti temporis. Usus tamen communis particulam *est* non secundum quod sonat, sed secundum quod supponitur accipiendo, extrahit illam extra rationem præsentis, eo quod particula *est* vulgò ad omnia tempora significanda adhibeatur. Unde dicitur *est* præteritum, *est* futurum, multoque ipsum quod præsens est, verè est, cujus ulterior hæc est Ratio, quia conditiones aliæ & differentie temporis, semper respiciunt ipsum præsens, & sic si aliquid præsens non fuisset, non fuisset præteritum: Rursus futurum non esset si præsens habere non posset, cum ergo conditiones omnes temporis respiciant præsens, illudque se variè ad has diversitates extendit, fit ut particula *est*, hujus præsentis significativa, usu accedente, extendere se possit ad significandum quodcumque imaginabile tempus, adeoque non alligando se certæ differentie temporis.

Addo propositiones æternæ veritatis habere se per modum generis, & sub hoc genere sunt imprimis propositiones æternæ veritatis de objecto existentie necessariæ, hoc est, DEO, & de objecto contingentis existentie, quales sunt creaturæ. Sub hoc genere continentur aliæ, nam quædam sunt propositiones contingentis existentie, quæ nihilominus important prædicata essentialia, & aliæ important prædicata accidentalialia: priores illæ dividuntur in propositiones æternæ veritatis importantes prædicata primò essentialia, & in importantes prædicata secundò non nisi essentialia. Quædam autem propositiones æternæ veritatis important prædicata accidentalialia, ex suppositione tamen necessaria, ut *sedentem sedere*, est propositio æternæ veritatis; aliæ autem non attendunt ad suppositionem, sed important prædicata, quæ huic quidem cui insunt, sunt essentialia, licet comparatè ad aliud sint accidentalialia, & ita essentialiale est albo esse album, licet ipsa albedo, accidat subjecto.

DICENDUM I. *Sensum propositionum æternæ veritatis non esse hypotheticum*: est contra Suar. & alios: nam illi imaginantur hujus propositionis *homo est animal rationale* sensum hunc esse, *homo si sit, erit animal rationale*.

PROBATUR I. Quia & esset sensus hujus propositionis conditionatus, & non esset: esset, ut supponitur: non esset autem, quia particulæ absolutæ, si ut sonat accipiat, accipiq; possit, ut sonat, non potest esse sensus conditionatus:

† E 3.

nul.

nullum enim absolutum rectè explicatur per conditionatum, tanquam inclusum in absoluto; aliàs unum contrariorum includeretur in altero contrario, hocque ipso jam illa non essent contraria. Sed in propositione æternæ veritatis, ponitur particula absoluta *Est*: Ergò per ipsum *esset* non rectè explicabitur.

CONFIRMATUR. Tum quia nullum est fundamentum recedendi à sensu absoluto particulae *est*, nullaque necessitas; quia si esset aliqua necessitas ponendi sensum conditionatum illarum propositionum hæc maxima esset, ne ponantur objecta illarum propositionum habere actualitatem ab æterno; sed ad hoc adstruendum non est necesse ponere sensum conditionatum illarum propositionum, quia sufficeret dicere quòd in illis propositionibus *ly est* non supponat pro *existet*, neque pro aliquo actuali, de quo infra dicitur, quid sit. Tum quia sicut *Est* non semper significat existere ita & particula *est* non est necesse ut explicetur vel per absolutam, vel per conditionatam existentiam. Tum quia possibilitas non rectè explicatur per conditionatam existentiam; Ergò neque propositiones æternæ veritatis rectè per illam explicabuntur. Tum quia scientia simplicis intelligentiæ in Deo, scientia conditionata non est; esset autem, si objectum haberet conditionatum; haberet autem, si propositiones æternæ veritatis essentiam, possibilitatem &c. indicantes, essent conditionati objecti.

PROBATUR II. Si istius propositionis *homo est animal rationale*, sensus iste foret, *homo si existat esset rationalis*, tunc impossibili omni existentia falsum est dicere *homo si existat esset rationalis*, & tamen verum erit dicere *homo est animal rationale*. Ergò illa propositio non habet hunc sensum conditionatam existentiam importantem. Quod autem illo casu, verum sit futurum dicere, *homo est animal rationale*. Probatur. Quia sublato eo quod pendet à Dei voluntate, non est necesse auferri id, quod non pendet à Dei voluntate, conditionata autem existentia pendet à Dei voluntate, cum pendeat ab illa, etiam absoluta existentia; eadem autem sunt principia effectus absoluti & conditionati, non pendet autem à Dei voluntate, ut homo sit animal rationale, ergò impossibili existentia conditionata, utpote pendente à Dei voluntate, adhuc erit verum dicere: Homo est animal rationale.

Quam ipsam rationem ad robur prioris sic accommodare possumus, quòd scilicet independens à DEI decreto non debeat explicari per aliquid pendens à Dei decreto, objecta propositionum æternæ veritatis nò dependēt à Dei voluntate; pendet autem existentia conditionata. Imò etiam posito quòd Deus non posset unquā decernere existentiam Petri, adhuc Petrus definiri non posset nisi per animal rationale, ex quo apparet ad veritatē huius propositionis, imper-

tinentem esse etiam possibilitatem decreti divini, decernentis existentiam.

RESPONDEBIS. I. Impossibili existentia hominis, illius propositionis. *Homo est animal rationale* sensus iste foret, *si per impossibile existeret homo, existeret rationale animal*, ad eum modum, quo hæc propositio *Hircocervus est ens rationis*, reddit hunc sensum, *hircocervus si existeret, existeret ens rationis*.

CONTRA. Tum quia nego illius propositionis de hircocervo esse sensum quem vult responsio. Tum quia sub hac conditionata, si per impossibile existeret homo existeret animal rationale, posito decreto de non existentia hominis subsumi non posset nisi hæc minor, sed impossibile est ut existat homo; ergò impossibile est, ut existat animal rationale; nihilominus posito decreto de non existentia hominis, sub illa conditionata non posset subsumi, sed impossibili decreto de existentia hominis, impossibilis est existentia hominis, cum hæc duo essentia & existentia sint distincta, existentiaque est accidens Metaphysicum essentia, existentia item pendet à DEI libero decreto, non pendet essentia, ergò apparet hæc duo non esse æquivalentia; si enim essent æquivalentia subsumi cum eadem veritate possent. Tum quia illud quod est possibile non debet explicari per suppositionem impossibilis, reducendi in statum possibilem, si nihil obstat; Ergò nec illa propositio *Homo est animal rationale* casu quo impossibilis redderetur existentia hominis, explicari debet per suppositionem impossibilis, reducendi in statum possibilitatis.

RESPONDEBIS II. Casu quo Deus faceret decretum de non ponenda absolute existentia Petri, eo casu implicaret existentia per principia extrinseca, non intrinseca; atque adeò propositio æternæ veritatis, adhuc per existentiam conditionatam explicari posset.

CONTRA. Quia per principia intrinseca non implicare existentiam, est non implicare essentiam existentia: quia causa intrinseca existentia, est ipsamet essentia, hinc dicere casu quo Deus faceret decretum de non ponenda absolute existentia Petri, adhuc existentiam illam non implicaturam per principia intrinseca, est dicere non implicaturam essentiam propter essentiam, sub quibus terminis, nihil exprimitur de essentia conditionata.

PROBATUR III. Tum quia etiam conditionata existentia, est effectus, passio, & quid subsequens essentiam tanquam radicem; ergò id quod est prius, non rectè explicabitur per id, quod est posterius. Tum quia de Deo possunt formari propositiones æternæ veritatis, quæ tamen explicabiles non sunt per conditionatam existentiam; quod ipsum probatur. Hæc propositio *Deus est ens à se*, est propositio æternæ veritatis, & tamen non potest explicari sic. *Si Deus esset, esset ens à se*. Et licet quidem à statu absoluto possit

Punctum Difficultatis 2.

*Deciditur de Esse competente Essentiis
ab aeterno.*

possit dari consequentia ad conditionatum tanquam ad aliquid prius etiam præ statu absoluto, non tamen absolutum, potest habere sensum conditionatum. Tum quia propositio æternæ veritatis est radix, & ultimum refulsorium veritatum de essentia, hæc autem radix non est existentia conditionata: quia si dicas. Hujus propositionis *homo est animal rationale* sensum esse si existat erit rationalis, querendum restat, quare si existat erit rationalis? tandemque defini debet in aliquo absoluto, hocque potius ostendet sensum illius propositionis.

DICENDUM II. Sensem hujus propositionis *Homo est animal rationale esse*, homo identificat sibi animalitatem & rationalitatem: idemque si dicas *homo est risibilis*, sensus erit, homo identificat sibi risibile. Universaliterque loquendo, *Ly Est* in propositione æternæ veritatis accipitur pro *Ly identificatur* pro *Ly essentia* &c. Unde etiam hujus propositionis *necessè est sedentem sedere*, sensus est, *sedens essentiatur sessione* &c.

EXPLICATUR conclusio. *Ly Est* diversas habet acceptiones, & sic *Ly Est* interdum supponit pro *indicat*, ut si dicam *pulsus est sanus*, sensus erit *indicat sanitatem*. Item si dicam *Medicina est sana*, *Ly Est* supponit pro *causa*, & sic de reliquis: Si ergo tanta est varietas acceptionis particulæ *est*, potest etiam accipi pro *Ly identificat*, vel pro *Ly essentia*, cum aliàs certum sit quod *Ly est* possit supponere, pro *esse* prout distincto ab existentia: unde etiam dicitur *esse essentiarum* per hoc *esse* non intelligendo existentiam sed essentiam.

PROBATUR. Bonitas hujus explicationis. Quia in adferendo sensu dictarum propositionum servanda sunt hæc, ut scilicet detur sensus, qui aliàs est in similibus usitatus: Deinde ut non sequatur exinde aliqua existentia creaturarum æterna, eaque actualis: Denique ut non sit explicatio propositionis per aliquid posterius, ut reflectenti patebit, ex difficultatibus, supra in similibus allatis: Hoc autem totum in præsentī servatur: Nam imprimis non est usitatum absolute per conditionata explicare. Nos etiam illius propositionis *Homo est animal rationale*, quæ habet *Ly Est* absolutum, non *Ly Esset* conditionatum, ponimus sensum absolutum. Polito etiam quod essentietur homo animalitate & rationalitate, non sequitur aliud, nisi essentiam hominis esse æternam, sensu mox dicendo quin sit existentia æterna. Et cum identificatio & essentiatio non sit quid posterius essentia, sit, ut illa particula *Est* non adferat in explicatione essentia quidquam posterius essentia.

CONFIRMATUR. Quia dictæ propositiones debent habere aliquem sensum; sed non habent sensum conditionatum; ergo debent habere sensum absolutum; sed non alium præter adlatum: Ergo.

PRÆMITTO I. *Esse reale dupliciter accipi posse*, I. prout opponitur ficto, sic v. g. animal præcisum à suis differentiis est aliquid oppositum enti ficto, & Chimæræ, diciturque quid reale. II. Ens reale potest accipi tam pro illo quod opponitur enti ficto, quam pro eo quod opponitur enti intentionali.

PRÆMITTO II. *Aliud esse: querere: an aliquid sit reale, & aliud, an status illius sit realis, vel an sit realiter.* Et ita finis est causa realis, non tamen causat realiter, sed intentionaliter: animal etiam in statu præcisionis est aliquid reale; est enim objectum quod est à parte rei, & tamen prout præcisum non est realiter.

DICENDUM est. *Essentias ab aeterno habere esse aliquod reale condistinctum ab esse objectivo in mente Dei, & esse contento in omni potentia, sed non habere id esse realiter, sed tantum intentionaliter, & extra intentiones non habere esse nisi fundamentaliter.*

Hæc conclusio in quantum hoc esse dicit esse reale coincidit cum Albertino, in quantum hoc esse dicit non haberi realiter, coincidit cum sententia communi. Videturque hanc sententiam licet non ita clarè docuisse Suar, Disp. 31. Metaphys. S. I. N. 10. Et Sect. 12 à N. 38.

PROBATUR I. Auctoritate S. Thomæ Quest. 5. de Potentia Art. 9. ad 16. qui tribuit essentias statum essentia, quæ ejus auctoritas commodè per conclusionem explicari potest.

PROBATUR II. Particulatim. Quod I. nempe quod illud esse sit reale: Quod homo essentietur animalitate & rationalitate non est hoc quid fictum; ergo aliquid reale, prout reale opponitur ficto.

Quod autem illud esse sit ab esse objectivo in mente Dei, & ab esse in omnipotentia distinctum. Probatur: Quia non ideo est homo animal rationale, quia illum Deus non potest facere nisi animal rationale, sed ideo non potest facere hominem nisi animal rationale, quia exigit esse animal rationale, nec ideo non potest homo esse nisi animal rationale, quia nescit illud Scientia divina rationale animal; Ergo datur exigentia alia, unde homo sit animal rationale, vel cognoscatur ut tale. Ergo illa exigentia est quid distinctum à continentia in omnipotentia & Scientia. Deinde sunt propositiones æternæ veritatis, quæ nullo modo continentur in omnipotentia Divina, v. g. si dicas *Lapis per impossibile si esset Leo, sentiret*. Ergo apparet objectum propositionis æternæ veritatis, esse aliud, quam contineri in omnipotentia. Vel si nolis suppositiones impossibiles, certè de Deo formantur

Propositiones æternæ veritatis, & tamen objecta illarum non continenter in omnipotentia Divinâ, nam hæc ad sola creata extenditur. Similia possunt dici de scientia Dei, quia si supponeretur per impossibile, vel errare Deus in notitia enuntiare; *homo non est animal rationale*, vel non cognoscere omnia, hæc propositio *homo est animal rationale*, vel erit falsa, vel vera? si falsa, cur? si vera, ergo & objectum illius ita se habens ut enuntiat. Ergo apparet dari illius esse, & non solum in omnipotentia. Quæ omnia rursus sic enodantur. Antequam dicatur essentia contineri in omnipotentia Divinâ, prius est ratione nostra posse illam velle Deum, quia omnipotentia est, ut ita dicam, executiva voluntatis Divinæ. Rursus prius est ratione nostra, creaturas esse in mente Dei, quàm esse objectum voluntatis Divinæ: prius enim est esse cognitum quàm esse volitum: Rursus ante esse cognitum, cum illa cognitio non sit practica, sed primum speculativa, debet esse prius tanquam exigivum, ut sic, & non aliter noscatur: Ergo apparet dari esse creaturarum condistinctum, ab esse contento in mente sola Dei, & esse contento in omnipotentia.

RESPONDEBIS. Non potest Deus efficaciter & rationabiliter aliquid velle nisi præsupponat quod id Deus facere possit, posse autem Deum facere aliquid, est illius essentiam contineri in omnipotentia.

CONTRA est. Considerando omnipotentiam in quantum est vis executiva, prius est Deum velle, quàm applicare illam suam executivam. Rursus cum intelligere & velle, sint priores perfectiones, præ posse facere ad extra, tanquam perficientes in ordine ad se, cum posse facere perficiat in ordine ad aliud, etiam sub hac formalitate, erit prius velle quàm omnipotentem esse. Ne autem dicatur imprudenter velle, sufficit pro priori præintellectio, quod id fieri possit ratione passivæ possibilitatis. An autem sub aliqua alia formalitate prior sit contentia in omnipotentia quam in voluntate, de hoc in præsentem non disputo.

Quod autem illud esse sit esse intentionale probatur. Tum quia non est fictum, non enim hoc fictum est, quod omnipotentia non possit hominem, v. g. facere nisi animal rationale. Non etiam hoc esse est reale prout opponitur intentionali, propter rationes suprà adlata difficultate. 1 p. 2. Ergo illud esse debet esse intentionale. Tum quia objectum quod fit vi abstractionis nõ est nisi objectum intentionale, jam autem illa exigentia est objectum nostrarum intentionum.

Quod autem ante omnem nostram intentionem sit illud esse nonnisi fundamentale sic explicatur. Videt Intellectus noster omniscientiam Dei non apprehendere hominem cum rugibilitate nec posse apprehendere; Videt item omnipotentiam non posse creare hominem cum rugi-

bilitate videt non posse amari à Deo rugibilitatem conjungendam homini. Hinc habet fundamentum in ipsa omnipotentia, & omniscientia, omnivolubilitateque, concipiendi exigentiam quandam in essentia, ad nonnisi, ita cognosci, ad nonnisi, ita produci; quæ exigentia independenter à nostro conceptu, cum non sit actualis, ut suprà probatum, & tamen sit aliqua, debet esse nonnisi fundamentaliter.

PROBATUR III. Quia si nihil obsit, ita currere debemus de hoc esse essentiarum, sicut de ipsis universalibus, rationibusque communibus; sed universalia extra nostras intentiones non dantur nisi fundamentaliter; ergo idem dicendum de esse essentiarum ab æterno.

COLLIGES I. Omnia creari ex nihilo essentia, quia esse à nobis concessum essentis, est esse intentionale. II. Esse hoc creaturarum posse appellari esse diminutum, est enim minus reali, majus autem ficto esse, quod bene dici potest esse intelligibile creaturarum, ut docebat Scotus. III. Esse hoc creaturarum, nullam ponere in illis existentiam.

Punctum Difficultatis 3.

Quod verificativum propositionum æternæ veritatis?

Propositionum æternæ veritatis verificativum Perez, & Elparza ponunt divinam Essentiam seu Omnipotentiam.

DICENDUM est. *Verificativum propositionum æternæ veritatis non esse Deitatem.* Est Conclusio ad mentem Antiquitatis.

PROBATUR I. Verificativum hujus propositionis, *Ego existo actu*, non est existentia Dei vel Deitas, Ergo neque verificativum hujus propositionis, quæ est æternæ veritatis v. g. *quod existit est actu*, erit Deitas. Antecedens dant Oppositi, probarique poterit ex infra dicendis. Consequentia probatur. Inter possibilitatem passivam existentia ab æterno sumptam, de qua dicitur *quod existit est actu*, & inter actualem existentiam non est distinctio realis, sed solum in statibus? Ergo si *Ly ego existo actu*, non habet verificativum sui existentiam Dei, nec *Ly quod existit est actu*, habebit verificativum sui Deitatem: quæ enim sunt idem realiter, quod est unius verificativum, hoc erit & alterius verificativum; alietas enim verificationis in talibus induceret distinctionem realem; esse enim unius non esset esse alterius; siquidem nec verificativum sequens esse, esset idem. Et sicut quia paries niger non habet sui verificativum idem, quod paries albus nempe non habet verificativum sui disgregativum visus, sequitur *Ly niger* & *Ly albus* esse distincta realiter, ita & in præsentem idem sequeretur.

PROBATUR II. Si propositionum æternæ veritatis verificativum esset Deitas, ideo esset, quia essentia,

essentiæ, cum nihil sint ab æterno, nec possunt verificare, cum verificatio sequatur ens: Sed hæc ratio non convincit, quia quamvis essentiæ rerum ab æterno sint nihil physicè, non tamen sunt nihil metaphysicè secundum possibilitatem passivam; cumque de illis non enuntietur esse physicum, nec verificativum illarum debet esse physicum, immò physicum quid, esse non potest, quia nec physicum esse, de illis enuntiat. Rursus cum ipsæ propositiones æternæ veritatis per nos, non sint actu veræ, nec verificativum illarum debet esse actu; & sicut illæ propositiones pertinent ad statum intentionalem, procedunt tamen ex supposito fundamento; ita & verificativum illarum sufficit ut sit intentionale, nempe pro statu illo intentionali representata connexio, & identitas prædicati cum subiecto.

PROBATUR III. Verificativum propositionis cuiuscunque; si sit affirmativa est identitas prædicati cum subiecto, si sit negativa, est alietas subiecti & prædicati: Ostenditque hoc inductio: nam cur vera hæc propositio? *Homo est animal rationale*, quia est identitas prædicati cum subiecto: Si enim dicas *animal rugibile est homo*, non erit jam propositio vera, quia non est jam identitas hominis & rugibilis. Ostendit hoc antiquum proloquium regulativum: *Prædicatum debet esse idem aliquomodo cum subiecto*, aliquomodo inquam idem, ad salvandam identitatem prædicati cum subiecto, aliquomodo diversum, ne sit propositio identica. Item ostendit hoc explicatio, quid sit copula, quod sit scilicet indicativum, insitne, an non insit prædicativum subiecto; quod dictum supponit attendi in veritate ad identitatem subiecti cum prædicato. Ostendit hoc principium regulativum Sillogismorum, *quæ sunt eadem uni tertio* &c. quod principium ex identitate extremorum cum medio infert identitatem, adeoque & veritatem propositionum. Quæ omnia ulterius in hoc fundantur, in primis quia esse & veritas objectiva indistinguuntur; distincta autem essent si verificativum propositionis non esset identitas. Deinde *Est* propositionis formalis, verificatur per *Est* objectivum, sicut *Ly formaliter animal* per animal objectivum, *Est* autem objectivum non aliud est, quam identitas, hæc enim coincidunt. Quæ omnia probant hanc Majorem verificativam propositionis affirmativæ, est identitas prædicati cum subiecto. Sed inter possibilitatem passivam indicatam per propositionem æternæ veritatis, & inter Deitatem, non est identitas, quia possibilitas passiva, trahit lineam creati: quod autem est de lineâ creati, non potest identificari increato; aliàs increatum hoc ipso esset idem cum creato, adeoque nec increatum. Ergo illarum propositionum verificativum non est Deitas.

QUÆRES. Quod ergo erit verificativum propositionum æternæ veritatis?

RESPONDETUR. Erit *connexio seu identitas prædicati cum subiecto*; licet istius connexionis ut dixi habeatur fundamentum, in Omnipotentia, Voluntate, & Scientia divina.

De Motivo Notitiarum & Volitionum divinarum.

QUÆRES. An posito quod verificativum Propositionum æternæ veritatis, non sit Essentia divina, saltem illa sit unicum Motivum cognitionum & volitionum divinarum. Consequenter ad dicta.

INFERTUR. Non esse solam Essentiam divinam unicum motivum notitiarum & Volitionum Dei. Ratio. Tum quia Intellectus divinus est Infinitum noscitivum. Ergo illi competere debet omnis possibilis & non involvens imperfectionem noscitivitas, aliàs determinata; non nisi noscivitatis perfectio illi competeret, jam autem possibile est, ut Deus pro Motivo suæ notitiæ & volitionis, assumat aliquid creatum, nec potest ostendi, quod id involvat aliquam imperfectionem. Tum quia indubie creatus Intellectus assumit pro Motivo suæ notitiæ aliquid creatum. Quæro, vel noscit illam notitiam Deus vel non noscit? Si non noscit omniscius non est, si noscit habet speciem expressam illius notitiæ, quæ, inexplicabile est, si exprimit pro motivo notitiæ creatæ, aliquid creatum, quod etiam expressivum increatum notitiæ illius creatæ non habent motivum illud creatum, & hoc ipso si aliud motivum haberet notitia increata, non esset expressio, ut supponitur notitiæ creatæ, quæ omnia prædicata notitiæ creatæ in se includit, exceptis iis, quæ sunt de linea creati. Tum quia nomine motivi notitiæ ut sic, venit responsivum ad Quare ponatur assensus vel dissensus, & loquendo in materia volibilium est responsivum ad Quare appetitus, vel quare, fuga, hoc est quod sit reddibile pro ratione, sive ab intelligente sive ab appetente: quo posito. Quæro, interrogatus Deus an sit Sol pulcher? nonne responderet pulcher. Quærere restaret ex Deo, quare assentiatur illum esse pulchrum, nunquidne pro ratione reddere hoc solum debet, quia Essentia mea est pulchra, an non poterit pro ratione reddere etiam entitativum decorum sideris, imò de facto docemur esse prædestinati ex meritis Christi, quæ non sunt ipsamet Essentia divina. Format Deus Decretum contra Impenitentes finaliter, nunquidne istius Decreti motivum non sunt peccata, quæ non sunt essentia divina, videturque esse quædam incongrua restrictio omniscivitatis divinæ, quod Deus possit dicere, ego produxi creaturam, & non possit dicere creatura producta est à me.

DICES I. cum quodam. Omne objectum motivum Intellectionis importat rationem à quo est Intellectio. Atqui nihil est præter ipsam essentiam à quo sit intellectio divina. Sicut enim Essentia divina est à se ipso, & à nullo alio, ita & cognitio

cognitio divina. Unde hoc ipsum quando dicitur Essentiam divinam esse Motivum Intellectionis divinæ, intelligendum est negativè, simili modo ac intelligimus negativè id, quod Deitas sit à se.

RESPONDETUR. Imprimis etiam posita hac explicatione, quo sensu motivum Intellectionis divinæ sit ipsa Essentia divina, adhuc Argumentum multum probat. Quia probat motivum intellectionis divinæ, non esse ipsam Essentiam divinam, sed intellectionis divinæ motivum esse ipsammet intellectionem divinam, cuius tamen oppositum videtur hic debere intendi. Directè ad Argumentum hoc dici potest. Ly à quo Intellectiones divinæ dupliciter sumi potest. Primò Ly à quo sumendo pro Principio, & tanquam Actu primo ex modo nostro concipiendi, vi cuius proditur ad actum secundum intellectionis, seu quòd se habet per modum Principii elicentis, & hoc à quo, est indubiè sola Essentia divina. Secundò Ly à Quo sumi potest, pro responsivo, ad interrogationem, quare sit assensus exhibitus, & hoc à Quo, competit ex rationibus adlatis, etiam rebus creatis, & licet cognitio divina non sit in genere Principii elicentis ab alio quàm ab essentia divina, poterit esse ab alio, in genere responsivi. In idem fermè recidet si dicas Ly à Quo tanquam à specificativo extrinseco haberi posse in Intellectione divina etiam ab aliquo creato, licet à quo specificationis intrinsecæ, habeatur ab ipsamet Essentia divina.

INSTAT. Objectum motivum illud dico ex quo & ex Potentia paritur notitia à quo specificatur, atque accipit suam perfectionem cognitionis.

RESPONDETUR. Quì notitia ex objecto & Potentia gignatur alibi explicatum. Specificationem autem extrinsecam jam dixi haberi posse ab aliquo creato, licet specificatio intrinseca, non possit esse aliud intellectionis divinæ, nisi Essentia divina. In idem recidit, si dicas ab essentia tanquam à Principio elicitive habere specificationem suam Intellectionem divinam, licet habeat specificationem ab aliquo extrinseco, sumptam pro eo, quod est reddibile pro ratione assensus divini, seu quod est responsivum ad Quare assensus.

DICES II. cum eodem. Per hoc solum prædicatum, differt objectum motivum à purè terminativo, quòd hoc posterius solum modò representetur per cognitionem, & non est id, à quo est cognitio.

RESPONDETUR. Non per hoc, hæc duo distinguì, cum etiam in creatis motivum cognitionis, non sit id à quo tanquam Principio elicitive sit notitia. Per hoc ergo potius hæc duo differunt: quòd objectum terminativum, habeat rationem ejus circa quod notitia, objectum autem motivum, est Responsivum, ad Quare assensus.

DICES III. Unius cognitionis nonnisi unum

est objectum adæquatum. Si enim est multiplex, tunc ex illis coalesceret unum adæquatum. Atqui in Deo nonnisi est una cognitio. Ergò.

RESPONDETUR. Hoc argumentum videtur probare multum, quia probaret, etiam Terminum cognitionis Divinæ, non esse, nisi solam Essentiam Divinam. Ille enim Terminus, est objectum indubiè notitiæ; unius autem notitiæ, debet esse unum objectum adæquatum, aliàs coalesceret ex pluribus. Directè dici potest unius cognitionis, quæ etiam in modo noscivitatis, est infinita non esse unum objectum adæquatum, stans in aliquo increato, sed debet esse objectum illius unum adæquatum stans in creato & increato. Quia ergò notitia Divina est ita una, ut simul sit infinita, etiam in modo noscivitatis, ideò extendere se poterit ad assumendum pro motivo, etiam objecta creata.

NOTO. Dictum est in primâ parte seclusis imperfectionibus competere Essentiæ Divinæ etiam rationem Speciei impressæ, hinc omnia objecta motiva creata representantur ab Essentia Divina tanquam habente vim Speciei impressæ respectu omnium Motivorum creatorum, hocque sensu dici potest solam Divinam Essentiam habere rationem Motivi, cum hoc tamen stat, ut non sola Essentia, sit pro ratione reddibilis, ad Interrogationem factam, quare Deus assentiat objecto?

QUÆSTIO IV.

De Ente prout Existentia est.

EX dictis suprâ de ente participialiter accepto colligi potest ens prout est existens esse ipsum ens prout est extra causas; jam autem existentia abstractè sumpta, est ratio existendi extra causas. Conformiter autem ad dicta de possibilitate posset distinguì duplex existentia, quædam extrinseca, & hæc definitur per esse extra causas, nec competit Deo cuius nulla est causa. Deinde alia distinguì posset existentia intrinseca, quæ stat in esse actu, & hæc Deo etiam competit.

DIFFICULTAS I.

An sit distincta realiter essentia ab existentia?

DICENDUM Quòd non. Est Conclusio Scotistarum & ex nostris reliquorum contra Thomistas, quibus accessit noster Maurus, & Fonseca modaliter eam distinguens.

PROBATUR I. Si essentia distingueretur realiter ab existentia Petri, etiam essentia existentia distingueretur realiter ab ipsâ existentia: sed non distinguitur realiter; ut probatur; si essentia existentia distingueretur realiter ab ipsâ existentia, quæro existentia illius distinctæ, ab essentia